

cognoscere cupit, adeat Adversaria ejusdem pag. 134. Thomas Gatakerus vertit *gesta Apostolorum*. Conscripsit enim Lucas quasi duos libros Chronicorum Novi Testamenti, quorum primus continet res gestas Christi, alter res gestas Apostolorum. Syriacæ versionis inscriptio talis est: [*Kthobho daphraabhsis daschliche*] i. e. *Liber Praxis seu Actorum Apostolorum*. Similiter Arabicæ: [*Kirâbolabraksis*] *Liber Praxis sive Actorum*. Ubi notandum 1. prolixiorum inscriptionem etiam dictis versionibus in Codd. excusis præmitti, & Syriacæ quidem, quæ præmissa, ita Latine sonat: *Liber Actuum, b. e. Historiæ Apostolorum beatorum, quas collegit Sanctus Lucas Evangelista*. Non multum abludivit ab hac ea, quæ versionis Arabicæ præmissa, nisi quod paulo prolixior hæc sit. 2. More suo Græcam dictionem $\pi\epsilon\gamma\chi\epsilon\iota\varsigma$ sua hic donasse civitate Arabem ac Syrum.)*

*(VI. *Distributio ac summa.*

Describitur *Ecclesiæ* post Christi adscensionem 1. *progressus & confirmatio*, a c. 1. ad 8. 2. *augmentum & persecutio*, a c. 8. ad 16. 3. *intergentes fundatio & propagatio*, a c. 16. ad finem. Vel ita: Proponuntur in Actis seqq. 1. Apostolorum congregatio, Christi adscensio & Matthiæ electio, c. 1. 2. visibilis Spiritus S. super Apostolos effusio ac magnæ multitudinis per Petri concionem conversio, cap. 2. 3. Claudi a Petro sanatio, cap. 3. 4. Petri ac Johannis captivitas & confessio, cap. 4. 5. Ananiae fraus, & Apostolorum ex carcere per Angelum liberatio, cap. 5. 6. Septem Diaconorum electio, cap. 6. 7. Stephani per Martyrium coronatio, cap. 7. 8. Samariæ & Eunuchi Æthiopsis conversio, cap. 8. 9. Pauli illuminatio ac Tabithæ resuscitatio, cap. 9. 10. Centurionis per Petrum conversio ac Petri de gentibus in gratiam recipiendis instructio, cap. 10. & sic porro. Distichis vel heroico etiam carmine comprehensam si quis libri summam habere concupiscit, adeat B. D. Himmelii Memor. Bibl. (speciale.)*



AD